

Johannes Sturm von Battgen

Johannes Sturm.

Anno . 1607.

Mors, mortis mortis, mortali mors
morte redemit.

Mors vocat. o mors.

Mors mortis ie etrus destrutor mortis
redemit mortem ie mortalum hōrem.

Morte sun. mortis à morte actra.

Coppenro.

Johannes

LIBRIS
ASSIMI. VIRI
DN. D. I. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAL. BORVSS. CONSILIARI^{II}
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Nae. 7

RUDIMENTA *b.* 2
DIALECTI
CÆ P. RAMI, BRE-
VITER COL-
LECTA;
ET EXEMPLIS SELECTIS,
sacris potissimum, illustrata
Per
HIERONYMUM TREUTLE-
rum Silesium.
In usum Scholæ Herbornensis.
Editio secunda correctior.



HERBORNÆ
Ex officina Christophori Corvini.
c I o i o x c I X.


ДИАЛЕКТ
КАРЯМБЕ

ВАЛЯ
АТОЛ

СИДЕРИЗ

НИМТИОЛАН

СИДЕРИЗ
ПОМОЛОГИЯ



Н а л о н
Е з о в и ч и
С п и г о в и ч и
С и с с и



ILLUSTRI ET GE- NEROSO ADOLESCENTI,

DN. ADOLPHO JUNIORI Co-
miti in Bentheim, &c. Hieron.

Treutlerus S.

Meministi haud dubie, Generose D. ADOLPH E, id quod vulgo dici solet: ordinem memoriae patrem esse; confusione verò instabili doctrinæ ipsius adeo oblivioni viam sternere expeditissimam. Audivisti etiam sàpe, quod intricata docendi & discendi ratio superioribus seculis omnes disciplinas, quas vocant, liberales densa caligine obfusas corruperit: donec proxima hac ætate, Deo clementer nos respiciente, aliquot excellentes ingenio & industria viri, discussis hisce nebulis, postliminio nos in pulcherrimæ lucis possessionem rursus induxerunt. Quoquidem lumine, præsertim Logico, cùm nihil ad omnes vitæ partes recte obeundas homini sit aptius, tantoq; homini homo præster, quantoq; hujus tanti boni usum exactius norit: sapienter hodie multi. Illustriss. magistratus Scholas, hoc est, officinas literarias aperiunt, in quibus non subditi modo illorum vele exteri tenuioris fortunæ erudiantur: sed ipsorum etiam filii cum

A ij

paternæ gloriae & ditionum hæreditate optimarum
artium cognitionem methodicam adquirant. Itaq;
nunc videmus multos illorum ordinum homines,
qui patrum memoria rem maximè militarem &
equestrēm sectabantur, nunc non minùs impensé li-
teris humanioribus delectari: neq;₃ solūm delectari,
sed ad sacræ doctrinæ purioris & artium, quæ illius
dijudicandæ sunt instrumenta, conservationem, o-
mnem operam conferre. Cujus rei exemplum & Ge-
nerosiss. noster Comes in hac Schola Herbornensi
edidit: & verò tuus etiam Illustris Dn. parens nuper
admodum in constitutione Scholæ Schuttorpiensis
ostendit. Quod ideo h̄ic commemorare mihi visum
est, ut tu, cui ad naturæ bonitatem institutio ordine
& perspicuitate commendabilis obtigit, cogitare
non desinas, quantum & ad expectationem paren-
tum & multorum aliquando utilitatem, addo eti-
am proprii judicii informationem intersit, itate in
cœpto curriculo procedere, sicut incepisti. Et cùm
jam in ista tua ætate puerili præter religionis fun-
damentum linguae Latinæ usum tibi mediocrem
comparaveris: spes est tē proximè futuris, Deo vo-
lente, promotionibus ex classe Grammatica ad eam
curiam, quæ Logices studium inchoat, posse trans-
ferri. In qua cùm hactenus Rudimenta hujus ar-
tis desiderarentur, ego, jussu senatus scholastici-
illa ex Raimo nostro selegi, & exemplis sacris & pro-
fanis, quæ & minimè prolixa & satis perspicua
adferre conatus sum, illustravi. Quæ præterea in
distin-

P R E F A T I O . 5

distinctionibus capitum ad marginem collocatis, & characterum diversitate hic exhibita sunt, omnia eō spectare voluimus, ut & memoriae & intelligentiae discipulorum operam nostram accommodaremus. Hos igitur flosculos Logicos, ex horto Rameo in nostrum Lyceum translatos, tibi, Generose Dn. ADOLPHE, offero: ut cūm iis instructus ad classem uberiorem perveneris, & eorum pulchritudine & tuomet exemplo condiscipulos tuos reddas alacriores. Quod ut facias, debent te etiam exempla domestica excitare, non modō virtutis avitae in utraque paterna & materna familia: sed & quatuor Generosorum commilitonum: ex quibus quoniam frater tuus EBERVINUS-VVIRICUS cum PHIL.-LUDOVICO Comite Hanoviæ, te præcedunt; ALBERTUS verò Comes Hanovius, cum fratre tuo minimo natu ARNOLDO-JODOCO, proximè insequuntur: ita in medio constitutus es; ut, nisi, quod facis, strenue progrediaris: & hi æquaturite, & illi paulo longiore intervallo post se relicturi videantur. Vale bene. X.

Cal. Maij. 1589.

A ij



RUDIMENTORUM
DIALECTI
CÆ PETRI
RAMI
LIBER I.

CAP. I. **D**IALECTICA est ars bene disse-
rendi.

CAP. II. Partes ejus duæ sunt: *Inventio & Judicium.*
Inventio est prima pars Dialecticæ de inve-
niendis argumentis.

Argumentum est, quod ad aliquid arguen-
dum affectum est; quales sunt singulæ ra-
tiones solæ & per se consideratæ.

Argumentum est *artificiale* vel *inartificiale*.

Artificiale, quod ex sese arguit.

Estque primum vel *á primo ortum*.

Primum, quod est suæ originis.

Estque simplex vel *comparatum*.

Simplex, quod simpliciter & absoluté consi-
deratur.

Estque consentaneum vel *disentaneum*.

Consentaneum est, quod *consentit cum re*
quam arguit.

Con-

RUDIMENT. DIALECT. LIB. I. 7

Consentit autem duobus modis, *absoluté*,
vel modo quodam.

Absoluté, causa — & — *effectum.*

Ex his distributionibus argumenta ordine excerpta sunt

Consentanea septem: causa efficiens, materia, forma, finis;
effectum, subjectum, adjunctum.

Dissentanea sex: diversa, disparata, relata, adversa, pri-
vantia, contradictientia.

Comparata quinque: paria, majora, minora, similia, dis-
similia.

Orta octo: conjugata, notatio, distributio ex causis, dis-
tributio ex effectis, distributio ex subjectis, distri-
butio ex adjunctis, definitio, descriptio.

Inartificiale unum: Testimonium.

*De quibus nunc usque ad finem primi libri sigillatim expli-
cabitur.

Causa est, cuius vires est.

CAP. III.

Estque efficiens, & materia: vel forma, & fi-
nis.

E F F I C I E N S

est causa, à qua res est.

Ejus tres modi recensentur.

Primó est procreans, aut conservans, ut:

Sap. II. Deus & condidit & conservat mun-
dum.

Pater & mater procreant liberos: nutrix tue-
tur.

Romulus edificat Romam: Consules, Imperato-
res, &c. conservant.

a iiiij

Psal. III. v. 10. Timor Domini est initium sapientiae.

1. Timoth. 6. v. 10. Avaritia est radix omnium malorum.

CAP. IV.

2. Secundó causa efficiens solitaria est, vel socia. Solitaria sine aliarum adjumento efficit:

Sic Christus de se inquit, Esaiæ 63. Torcular calcavi solus: neq; mihi quisquam ex populis adfuit.

Luc. 5. v. 21. Solus Deus potest remittere peccata.

Rom. 3. v. 28. Sola fide justificatur homo, absq; operibus Legis.

Psal. 4. v. 8. Tu Domine solus me in tuto collocas: ut quiete cubem ac dormiam.

Sic apud Virg. Æneid. 9. Nifus solus auctor dicitur cædis factæ in castris Rutulorum.

Socia est quæ cum aliis efficit.

Estque principalis aut adjuvans. Et in adjuvantibus causis etiā instrumenta numerantur.

Sic Paulus inquit 1. Cor. 3. v. 6. Egoplantavit: Apollos rigavit: Deus vero dedit incrementum.

Ibid. 7. Dei ministri συνέψοι sumus.

Deus punit gladio, peste, fame.

CAP. V.

3. Tertió causa efficiens vel per se efficit, vel per accidens.

Per

DIALECT. LIB. I.

9

Per se efficit, quæ sua facultate efficit: ut quæ naturâ vel consilio facit.

Venti suâ naturâ mare commovent.

Sol suâ naturâ lucet & calefacit.

I. Iohann. 3. Satan à principio peccat.

A. C. 5. Ananias consutro dicit mendacium.

Cicero non coactus contra Cæsarem arma tulit,

Causa per accidens est, quæ externa facultate efficit: idque necessitate vel imprudentia.

Necessitate; ut:

Matth. 27. v. 26. Coegerunt Simonem Cyrenæum, ut portaret crucem Jesu.

2. Maccab. 18. Eleazarus cogebatur vi diducto ore suilla carne vesci.

Imprudentia; ut:

Jasonis curatio fortuita fuit, h.e. aliud quærebat hostis eius, nimirum ut eum interficeret.

Sic Josuæ 20. jubet Deus oppida perfugii diligere, in quæ confugiat, si quis hominem errore & imprudenter occiderit.

Hinc deprecationes saxe sumuntur.

M A T E R I A

est causa ex qua res est; ut:

Genes. 2. Adam ex terra formatus est.

Genes. 2. v. 12. Eva ex Adami costa facta est.

LIBR. 2

CAP. VI.

A V

IO RUDIMENTORUM

* Gopher
est cedri spe-
cies, cariem
non senti-
ens: fortas-
sis Cedrela-
te; de qua
Plin.lib.13.
Natur.hist.
cap.15.

Genes.9. Arca Nohæ ex lignis * Gopher pice
illit is construitur.

Matth.3. v. 4. Ioannis vestimentum erat ex pi-
lis camelorum.

Ovid. metam. 2. Domus Solis ex ebore, auro,
argento, pyropo, constare fingitur.

CAP.VII.

FORMA

est causa, per quam res est id quod est.

Ideoque hinc à cæteris rebus distinguitur:
& forma cum re ipsa ingeneratur.

Estque interna, vel externa.

Interna, quæ sensibus non subjicitur, ut:
Anima rationalis est forma hominis.

Externa est, quæ sensibus percipitur.

Estque naturalis, aut artificiosa.

Naturalis, ut: *forma externa hominis, equi, leonis,*
arboris, aliarumq; rerum.

Artificiosa, ut: *forma arcæ Nohæ, Gen. 6. v. 14.*
forma arcæ fœderis, &c. Exod. 37.

Forma ædificiorū, turrium, gladii, vestimenti, &c.

CAP.VIII.

FINIS

est causa, cuius gratiâ res est, ut:

Hic mundus conditus est propter hominem.

Homo

DIALECT. LIB. I.

II

Homo autem conditus propter Deum.

I. Cor. 10. Omnia ad gloriam Dei facite.

I. Cor. 11. v. 24. & 25. Christus sacram suam cœnam celebrare præcepit ad sui recordationem.

Sic artium sui sunt fines, ut:

Bene loqui } Grammaticæ.

Bene dicere } finis est Rhetoricae.

Bene disserere } Dialecticae.

EFFECTUM

CAP. IX

est, quod vi causarum existit.

Sive igitur signatur, sive corrumpatur, sive modo quolibet moveatur quidlibet, hic motus & res motu facta effectum dicitur.

Sic Christi effecta sunt miracula, quæ passim in Evangelio describuntur. Joh. 2. aquæ in vivum conversio. Johan. II. Lazarus resuscitatio, &c.

Opera carnis, h. e. hominis naturalis describuntur Gal. 5, v. 19. impunitas, protervia, idolatria, &c.

Opera vero spiritus, h. e. hominis per Spiritum sanctum renati, charitas, gaudium, pax, lenitatis, temperantia, &c.

Romanorum effectum, regere populos.

Ebrietatis effecta septem ad ejus turpitudinem ostendendam notat Horatius:

*Quid non ebrietas designat? operta recludit¹:
Spes jubet esse ratas²: in prælia trudit inermē³:
Sollicitis animis onus eximit⁴: ac docet artes⁵:
Fœcundi calices quem non fecere disertum⁶?
Contracta quem non in paupertate solutum⁷?*

C A P . X.

Hæc de argumentis absolute-consentaneis: quodammodo-consentaneum succedit: subjectum — & — adjunctum.

S U B J E C T U M

est, cui aliquid adjungitur.

recipiens	in se; ut: <i>Anima subjectum virtutis, vitii, &c.</i> <i>Corpus subjectum roboris, infirmitatis, &c.</i> <i>Locus subjectum rei locatae.</i>
Estq;	ad se; ut: <i>Homo subjectum divitiarum, paupertatis, vestitus, comitatus, &c.</i> <i>occupans; ut: color est subjectum visus: sonus subjectum auditus. Voluptas subjectum temperantiae & intemperantiae.</i> <i>Et hoc speciali vocabulo Objectum nominatur.</i>

S16

Sic Paulus de Christo Ephes. i. v. 20. Collocavit eum ad dextram suam in cœlis.

Christus omnibus infirmitatibus humanis in his terris fuit obnoxius; excepto peccato.

Jerem. 9. Non glorietur sapiens in sapientia sua: nec dives in divitiis suis: nec fortis in fortitudine sua: sed in hoc glorietur, qui vult gloria-ri, quod sciat & agnoscat me.

Propert.

Navita de ventis; de tauris narrat arator:

Enumerat miles vulnera; pastor oves.

ADJUNCTUM

CAP. XI.

est cui aliquid subjicitur.

in rem, & dici potest In-
hærens, ut: virtus, vitium
inhærent in animo. robur,
infirmitas in corpore. res
loçata in loco.

receptum ad rem, & nominari po-
test Adhærens, ut: divitiae,
paupertas, vestitus, &c.
adhæret homini. Sic tem-
pus, nempe duratio rerum
præterita, præsens, futura,
rebus illis adhæret.

Estq;

occupatum, ut: visus circa colorem: au-
ditus circa sonum: temperantia circa
voluptatem, &c.

14 RUDIMENTORUM

Ad adjunctum receptum omnis omnino qualitas rei pertinet: sive ea sit Propria, ut: homini facultas ridendi, loquendi. sive Communis, ut: esse bipedem, album, agilem, &c.

Gen. 6. Noa vir suæ etatis justissimus.

Psal. 116. v. 11. Omnis homo mendax.

Rom. 3. v. 23. Omnes homines peccatores sunt & carent justitia, quæ Deo placeat.

Matth. 11. v. 26. Venite ad me qui laboratis & onerati estis: ego reficiam vos.

Rom. 4. v. 10. Abraham fides imputata est ad justitiam tempore præputii.

Fides versatur circa res cœlestes & inaspectabiles.

Et hactenus consentanea argumenta fuerunt; sequuntur dissentanea.

CAP. XII.

Dissentanea sunt, quæ dissentunt à re quam arguunt.

Suntque diversa vel opposita.

D I V E R S A

sunt, quæ sola ratione dissentunt.

Frequenter his notis exprimuntur, Non hoc, sed illud: Quanquam, Tamen; ut:

Rom. 2. v. 13. Non qui audiunt legem, sed quis præstans

præstant eam, justificabuntur.

2. Cor. 4. v. 8. & 9. Premimur quidem, sed non
opprimimur: æstuamus, sed non exæstuamus:
vexamur, sed non deserimur: dejicimur, sed
non perimus.

Tit. I. v. 16. Increduli etsi profitentur se scire
Deum, tamen factis negant.

Sic Ovid. 2. de arte:

Non formosus erat, sed erat facundus Ulysses.

Hæc occupationibus & distinctionibus serviunt.

CAP.XIII.

OPPOSITA sunt, quæ ratione & re dissen-
tiunt. Hæc eidem attribui secundum
idem, ad idem, & eodem tempore non
possunt.

Itaque ex altero affirmato alterum negatur.

Suntque disparata vel contraria.

DISPARATA

sunt, quorum unum multis pariter opponi-
tur, ut:

Kiride, cineraceum, rubrum, media sunt inter
album & nigrum: quæ singula extremis &
inter se disparata sunt.

Sic homo, arbor, lapis, &c. disparantur.

1. Petr. I. v. 18. Non caducis rebus, auro aut ar-
gento, ex vanis moribus patriis estis redemti:
sed precioso sanguine C H R I S T I, tanquam

16 RUDIMENTORUM

agni immaculati & incontaminati.

Sic Joh. 4. v. 9. muliercula ad Christum
inquit: Quomodo tu cūm sit Iudæus, potum
poscis á me, quæsum mulier Samaritana?

Luc. 19. v. 46. Mea domus precum: at vos feci-
stis ex ea speluncam latronum.

CAP.XIV.

CONTRARIA sunt, quorum unum uni-
tantum opponitur.

Suntque affirmantia vel negantia.

AFFIRMANTIA, quorum utrumque af-
firmat, vt Relata vel Aduersa.

RELATA

sunt contraria affirmantia, quorum unum
constat ē mutua alterius affectione.

Atque inde nominata sunt relata.

Sic Christus arguit Matth. 22. v. 45. Si
- Christus Davidis est dominus, non erit ejus
filius, h. e. potestati subjectus.

Malach. 1. v. 6. Filius patrem, & servus domi-
num debet honorare. Quod si ego pater, ubi
est meus honor? si ego dominus, ubi mei me-
tus, inquit Jehova.

Sic relata sunt: doctor, & discipulus: docere &
discere: locare & conducere: emere & vende-
re: dare & accipere.

Cic.

Cic. in orat. Non turpe est docere alios id, quod
ipsi fuerit honestum discere.

ADVERSA

CAP.XV.

Sunt contraria affirmantia, quæ inter se ve-
lut è regione perpetuò aduersantur; vt:
*pax & bellum: virtus & vitium: calidum & fri-
gidum: Christus & Belial.*

*Matth. 6. v. 24. Non potestis Deo servire &
Mammonæ.*

*1. Cor. 10. v. 21. Non potestis poculum Domini
bibere, & poculum dæmoniorum: non potestis
mensæ Domini participes esse, & mensæ dæ-
moniorum.*

*2. Cor. 6. Quod est justitia & consortium cum in-
justitia? q. d. nullum est, &c.*

*Virg. 11. Aen. Nulla salus bello: pacem te posci-
mus omnes.*

CAP.XVI.

CONTRARIA NEGANTIA sunt, quo-
rum alterum ait, alterum negat idem.
Suntque *contradicentia vel privantia.*

B

CONTRADICENTIA

sunt contraria negantia, quorum alterum
negat ubique; ut: *homo, non homo; est, non est;*
justus, non justus.

*Rom. 9. v. 25. Vocabo populum meum, qui me-
us non erat, populum meum: & eam, quæ di-
lecta non erat, dilectam.*

2. *Cor. 1. v. 19. Filius Dei, qui inter vos per me
prædicatus est, non fuit ETIAM & NON,
sed fuit ETIAM in ipso.*

CAP. XVII.

PRIVANTIA

sunt contraria negantia, quorum alterum
negat in eo tantum subjecto, in quo affir-
matum per naturam inesse potest.

Atque hîc affirmatum dicitur habitus: ne-
gatum autem privatio; ut:

*Visus, cæcitas. Motus, quies. Vita, mors. Loqui,
tacere. Dives, pauper. Ebrius, sobrius.*

*Rom. 6. v. 2. Qui mortui sumus peccato, quo-
modo adhuc vivemus in eo? q. d. non vivemus
in eo.*

*Luc. 1. v. 20. Tacebis, nec loqui poteris ad eum
usq; diem, quo hæc fient.*

CAP. XIX.

Hucusque simplicia argumenta fuerunt in consentaneis
& dissentaneis: sequuntur Comparata.

Com-

CO^MP^AR^AT^A sunt, quæ inter se compa-
rantur. Hæc interdum notis indicantur:
interdum partibus suis *Propositione* scil. &
Redditione tractantur: atque facta etiam
comparata fidem faciunt.

Suntque in *Quantitate* vel *Qualitate*.

Quantitas est qua res comparatae dicuntur
quantæ.

Estque *parium* vel *imparium*.

P A R I A

sunt, quorum est eadem quantitas.

Notæ eorum sunt, Par; & quale: & quare: tan-
to, quanto: idem, quod: non magis, non
minus, &c.

Phil. 2. v. 6. *Christus non duxit rapinam, parem
esse cum Deo.*

HI K I M

Matth. 20. v. 12. *Operarii ultimâ horâ vocati
æqualem accipiunt mercedem cum iis, qui di-
ei pondus & æstum portârunt.*

Luc. 12. v. 9. *Qui me confitetur coram homini-
bus, illum & ego confitebor coram angelis
Dei: qui autem negaverit, negabo.*

Sic Genes. 13. v. 16. Deus ad Abrahamum
inquit: *Tuum semen pulveri terræ coequa-
bo, ut id qui numerare possit, idem possit &
pulverem numerare.*

B ii

20 RUDIMENTORVM

CAP. XIX. IMPARIA sunt, quorum quantitas est non-una.

Suntque majora vel minora.

M A J U S

est, cuius quantitas excedit.

Notæ ejus sunt, Sed etiam, Potiūs, Malo,
Magis, Plus, &c.

1. Cor. 13. v. 13. Manet fides, spes, charitas, hac
tria: sed maxima earum charitas.

Act. 5. v. 29. Oportet Deo potius obædire quam
hominibus.

Rom. 11. v. 21. Si Deus naturalibus ramis nou
pepercit: vide ne tibi quoq; non parcat.

CAP. XX.

M I N U S

est, cuius quantitas exceditur.

Ejus notæ sunt: Non solūm, cum, quam &c.

Matth. 11. v. 11. Non est major Johanne Baptista
internatos mulierum. id est, Alii sunt mine
res Johanne.

Matth. 6. v. 26. Homines præstant liliis & pas
serculis,

Psal. 89. v. 7. Nemo cum Jehova est compa
randus.

Adhuc

Adhuc comparatio in quantitate fuit: sequitur comparatio in qualitate.

CAP.XXI.

Qualitas est, qua res comparatæ quales dicuntur: nempe Similes aut Dissimiles.

SIMILIA

Sunt, quorum est eadem qualitas.

*Eorum notæ sunt; Similis, Effigies, More,
Instar, Tanquam, Sicut, Non aliter, &c.*

Psal. I. 5. v. 8 Similes idolis sunt, qui faciunt ea.

*Psal. I. v. 3. Pius erit instar arboris juxta rivos
plantata, quæ fructum suum dat in tempore
suo.*

*Sic regnum cœlorum in Evangelio dicitur simile
thesauro, gemmæ, vineæ, &c.*

*Christus obmutuit, sicut agnus coram tonden-
te se.*

DISSIMILIA

CAP.XXII.

Sunt, quorum qualitas est diversa.

Notæ eorum sunt: dissimile, aliud, secus, &c.

Psal. I. v. 4. Non sic impii, scil. ut pii.

*Johan. 10. Pastor bonus vitam ponit pro ovibus
suis: mercenarius autem fugit.*

Esa. 54. v. 10. Montes commovebuntur, & col-

*les contremiscent: fœdus autem meæ pacis non
movebitur in æternum, dicit Dominus.*

CAPUT
XXIII.

Hactenus prima argumenta exposita sunt: sequuntur
Orta de primis.

ORTA sunt, quæ perinde sunt ad id quod
arguunt, sicut prima, unde oriuntur.
Suntque, *Conjugata & Notatio: Distributio
& Definitio.*

* Non est
hoc argu-
mentum
semper ne-
cessarium,
ut putant
Cicero &
Quintil. sed
ſæpenume-
rō fallax,
ideoq; jocis
aptum. vide
Tal. hic.

* CONJUGATA

sunt nomina ab eodem principio varié de-
ducta.

Estque in illis symbolum consentaneorum.

I. Cor. 13. v. ii. Dum puer eram, pueriliter loque-
bar, pueriliter sentiebam, pueriliter cogita-
bam: sed vir factus, puerilia delevi.

Joh. 3. v. 31. Qui é terra est, terrenus est, & ter-
rena loquitur.

Terent. in adelph. *Homo sum: humani nihil à
me alienum puto.*

Sic justitia, justus, justé, &c.

NOTATIO

CAPUT
XXIV.

est nominis é sua origine explicatio.
Nomina siquidem sunt notæ rerum, nomi-
numq;

numq; derivatorum & compositorum, si
vera notatione fiant, ratio reddi potest ex
aliquo primo.

Sic homo dicitur ab humo } á causa materiali.
Adam á rubra terra

Eva, quia mater viventium } ab effecto.
Focus á sovendis flammis

Carna, dea circa cardines occupata á subjecto.

Gen. 22. Locus Morijah á Jova vidente } ex ad-
Gen. 32. Locus Penuel á Deo viso } juncto.

Quint. } Lucus, quia parum luceat } ex disse-
 } Ludus, qu. longissimé á lusu } taneis.

Ov. Pyropus, q; ignis flammā imitetur } ex com-
Cic. Callidus, q; quasi callū obduxerit Sparatis.

CAPUT

DISTRIBUTIO est cùm totum in partes xxv.
distribuitur.

Totum est quod continet partes.

Pars est quæ continetur á toto.

Sumitur autem distributio ex argumentis
consentaneis.

Consentaneis	$\left\{ \begin{array}{l} \text{absoluté} \\ \text{modo} \\ \text{quodam} \end{array} \right\}$	$\left\{ \begin{array}{l} \text{causa} \\ \text{effectum} \\ \text{subjectum} \\ \text{adjunctum} \end{array} \right\}$	OR	$\left\{ \begin{array}{l} \text{ex causis} \\ \text{ex effectis} \\ \text{ex subjectis} \\ \text{ex adjunctis} \end{array} \right\}$	$\left\{ \begin{array}{l} \text{absoluta} \\ \text{modo} \\ \text{quodam} \end{array} \right\}$	distribu-

DISTRIBUTIO EX
CAUSIS

est, quando partes sunt causæ totius; ut:

Ex effic. Philosophia partim à Platone, partim ab Aristotele scripta est.

Ex mat. Vasa templi Salomonici alia ex auro erant, alia ex argento.

Ex forma. Vasorum alia quadrata, alia rotunda.

Ex fine. Vasorum alia spectabant ad usum in sacrificiis, alia ad ornatum.

Hic laudatur integri in sua membra distributio.

Integrum est, totum, cui partes sunt essentiales.

Membrum est pars integri; ut:

Hominis	} partes	corpus & anima.
Grammaticæ		etymologia & syntaxis.
Rheticæ		elocutio & pronunciatio.
Dialecticæ		inventio & judicium.
AEdificii		fundamētū, parietes, teclū.
Verbi Dei		lex & evangelium.

DISTRIBUTIO EX
EFFECTIS

est, quando partes sunt effecta; ut:

In navi nautæ alii malos scandunt, alii per foros euristi-

eur sitant, alii sentinam exhauriunt: gubernator
autem clavum tenet in puppi.

TIT. A.D.

XXXV.

Distributio generis in species hic excellit:
sed difficilis est inventu.

Genus est totum partibus suis esse ntiale.

Species est pars generis.

Genus generalissimum: cuius nullum est aliud genus—*Essentia.*

est subalternum: quod $\Sigma\Sigma$ illius genus $\Sigma\Sigma$ *Corpus.*

Species subalterna: quæ $\Sigma\Sigma$ species hujus $\Sigma\Sigma$ *Homo, animal.*

—es $\Sigma\Sigma$ specialissima; quæ individua est in alias spe- |
cies ————— Plato, Paulus.

Sic sacramentum novi Testamenti est Baptismus
aut Cœna Domini.

Animale strationale, vel irrationale.

DISTRIBUTIO EX CAPVT
SUBJECTIS XXVII.

est, quando partes sunt subjecta.

Sic Philosophiam veteres distribuunt, quod sit
vel de moribus, vel naturæ obscuritate, vel dis-
serendi subtilitate.

Bona alia sunt animi, alia corporis.

Semen (de quo Christus in parola Mat-
thæi 13. v. 4.) aliud cadit juxta viam: aliud
in petrofa: aliud in spinas: aliud in terram
bonam.

CAPUT
XXIX.DISTRIBUTIO EX
ADJUNCTIS

est, cùm partes sunt adjuncta; ut:

*Hominum alii sunt sani, alii ægroti: alii divites,
alii pauperes.**1. Cor. 12. v. 28. Ministrorum Christi in Ecclesia
alii sunt apostoli, alii prophetæ, alii doctores.*

Galliam { Belgæ.
inhabi- { Aquitani.
tant { Celtæ. } Gallia ut subjectum distri-
buitur in incolas sibi ad-
junctos.

CAPUT DEFINITIO est, cùm explicatur quid sit
XXX. res.*Estque Perfecta vel Imperfecta.*

* Vel, defini-
tio perfecta
est cuj^o dif-
ferentia sum-
ta est à for-
ma.

CAP. XXXI
* Vel, descri-
ptio est de-
finitio cuius
differentia
aliunde
sumta est
quam à for-
ma.

DEFINITIO

* perfecta est definitio constans è solis cau-
sis essentiam constituentibus; quales ge-
nere & forma comprehenduntur, ut:
Homo est animal rationale.

*Grammatica est ars bene loquendi.**Dialectica est ars bene disserendi.*

DESCRIPTIO

* est definitio imperfecta, ex aliis etiam ar-
gumentis rem definiens; ut:
Homo

Homo est animal mortale, capax discipline.

Gal. 3. v. 24. Lex paedagogus noster fuit in Christum respiciens.

Rom. 1. v. 16. Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.

Heb. 11. v. 1. Fides est illud quod facit ut exirent quae sperantur: & quod demonstrat, quae non videntur.

Exempla descriptionum non modo succinctarum, sed etiam illustrium passim extant apud auctores sacros & profanos.

Exposito hucusque argumento artificiali, sequitur in-

CAPUT

XXXII.

TESTIMONIUM

est argumentum inartificiale, quod non ex se, sed assumta artificialis argumenti vi arguit.

Estque divinum, vel humanum.

Divinum, quod Deum auctorem habet:

Idque immediatē vel mediatē.

Immediatē Deus olim locutus est patribus nostris, Adamo, Nohae, Abrahamo, Moysi, & Israëlitis.

Immediatum quoque testimonium divinum est Patris de Christo, Matth. 17. v. 5. Hic est filius ille meus dilectus, in quo acquiesco: Hunc au-

dite.

Mediatē Deus & olim per prophetas, apostolos, miracula, &c. & hodie adhuc per ministerium verbi sua voluntate testatur.

Apollinis & similiū deorum Ethnicorum testimonia utum Logicæ quidem ostendunt: origine autem suā verē diabolica, ideoque prorsus impia sunt.

Humanum testimonium est, quod hominum auctoritate nititur.

Estque *commune* vel *proprium*.

Communē rursus est *lex* vel *illustris sententia*. Proprium est singulare testimonium nominati alicujus testis.

Hujus loci est *Obligatio, Confessio, Jurandum, &c.*

Legis est exemplum pro Milone: *Est hæc, judices, non scripta, sed nata lex; ut si vita nostra in aliquas insidias incidisset, omnis honestaratio esset expedienda salutis.*

Huc omnes Iuris allegationes referuntur.

Illustrium sententiarum exempla sunt in proverbiis; ut: *Nosce te ipsum. Pares cum paribus facilimē congregantur, &c.*

Proprii testimonii exempla sunt singulorum autorum gnomæ; ut Ixionis apud Virgilium:

Discite justitiam moniti, & non temnere di- vos.

Obligationis exemplum est Genes. 44.^{v.} 32. Juda de Benjamin fratre ad Josephum inquit: *Ego patri vas factus sum pueri sistendi; ut si eum illi non reduxisset, ei semper*

semper ternum obstrictus essem.

*Confessionis; Joh. i. v. 20. & seq. Confessus
est Baptista, & non negavit: Confessus est, in-
quam, se non esse Christum.*

*Jurisjurandi; Rom. i. v. 9. Testis est mihi Deus,
me sine intermissione mentionem vestri facere
semper in supplicationibus meis.*

*Hucusque igitur Inventio: cuius usus in sequenti ex-
emplo versâ pagellâ conjunctim spectetur.*

Homo



MUDAN

1. 2. 3. 4.
 quem D E V S, ex terra, rationalem, ad gloriam suam fecit,
 varia facit, dicit, scribit, ratiocinatur.
 loco ubi vivit adjungitur, tempori subjicitur:
 facundus à formoso potest esse diversus.
 & lapis disparantur.
 quatenus pater ad filium refertur.
 bruti est adversum: non-hominū contradictor.
 inhumanitatis privatio:
 Homo angelis par, alius creaturā major; D E O minor;
 florū similis: alter alteri dissimilis:
 ab humo notatur: humanus esse debet.
 corpore & anima constat:
 Cato à Cāsare differt specie:
 alius alius regionib[us] subjicitur,
 aliis ægrotus, aliis sanus.
 animal rationale,
 mortale, capax disciplina &c.
 Hec omnia variis firmantur testimoniūt.

S.

ARGUM.


RUDIMENTORUM
DIALECTICÆ
PETRI RAMI
LIBER II.

Adhuc prima pars Dialecticæ fuit in Inventione: sequitur altera pars in Iudicio. C A P. I.

Judicium est secunda pars Logicæ de disponendis argumentis ad bene judicandum.

Estque axiomaticum vel dianoëticum. C A P. II.

Axioma est dispositio argumenti cum argumen-
to, qua esse aliquid aut non esse judi-
catur.



32 DIALECT. LIB. II.

Partes axiomatis duæ sunt: *Antecedens* & *consequens*: è quorum vinculo oriuntur reliquæ communes axiomatis affectiones.

Primò enim axioma est *affirmatum* aut *negatum*.

Affirmatum, quando vinculum eius affirmatur.

Negatum, quando vinculum ejus negatur.

Unde est axiomatum contradictio, quando idem axioma affirmatur & negatur.

CAP. III.

Secundò axioma est *verum* aut *falsum*.

Et utrumque vel *contingenter* vel *necessariō*.

Contingenter, quod ita verum falsumve est, ut aliquando secus esse possit; ut:

Audentes fortuna juvat.

Necessarium, quod ita verum falsumve est, ut nunquam secus esse possit.

Hoc { *affirmatum* } dicitur { *χρήματάς*.
 { *negatum* } { *χρηματίδες*, sive
ut: *Omnis credentes salvantur.* { *impossibile*.
 { *Nulli credentes salvantur.*

CAP. IV.

Atque hæc de communib[us] axiomatis affectionibus species sequuntur.

Axioma est *simplex* vel *compositum*.

SIMPLEX, quod verbi vinculo contingit.

Itaq;

Itaque verbo affirmato vel negato, affirmatur vel negatur; ut:

Ignis urit.

Ignis non refrigerat.

Ignis est calidus.

Ignis non est aqua.

I. Cor. 13. v. 4. Caritas patiens est.

Et ibid. v. 5. Caritas non querit sua, &c.

Hic prima est rerum inventarum dispositio; quo modo potest argumentum quodlibet disponi, exceptis plenis comparationibus & distributionibus: CONSEN-TANEA AFFIRMANDO: DISSENTANEA NEGANDO.

Simplex est generale vel speciale.

GENERALE, quando commune consequens attribuitur generaliter communi antecedenti; ut:

Matth. 15. v. 13. Omnis plantatio, quam non plantavit pater meus ille cœlestis, eradicabitur.

Nemo potest Deo placere sine fide.

SP E C I A L E axioma est, quando consequens non omnia antecedenti tribuitur: Estque particulare vel proprium.

PA R T I C U L A R E, quando consequens commune antecedenti particulariter attribuitur; ut:

Aliqui Pharisei crediderunt in Christum.

Nonnulli vocati non sunt electi.

PR O P R I U M, quando consequens antece-

C

34 R U D I M E N T O R U M

denti proprio attribuitur; ut:
Nicodemus credidit in Christum.
Judas Iscariotes non fuit electus.

C A P . V .

Hactenus simplex axioma fuit: sequitur compositum.

C O M P O S I T U M axioma est, quod vinculo
conjunctionis continetur.

Itaque hac affirmata vel negata, affirmatur
vel negatur.

Estque *congregativum*, vel *segregativum*.

C O N G R E G A T I V U M est, cuius conjunc-
tio est congregativa. Hoc enunciat o-
mnia argumenta consentanea affirman-
do: omnia etiam dissentanea negando.

Estque *copulatum* vel *connexum*.

C O P U L A T U M , cuius conjunctio est copu-
lativa; ut:

*Eccl. 12. v. 3. Bona & mala, vita & mors, pau-
pertas & divitiæ, a Domino proficiuntur.*

Virg. 1. Æn. Vna Eurusq, Notusq, ruunt, &c.

Verum copulati judicium pendet ex omni-
um partium veritate: falsum, saltem ex
una parte falsa.

C A P . VI .

C O N N E X U M axioma est cuius conjunctio
est connexiva s i ; ut:

Affirmat Deus *Gen. 3. v. 3.*
Si vescemini fructu arboris, moriemini.

Cor-

Contradicit serpens negando:
Non si vescemini fructu arboris, moriemini.
 Veritas connexi axiomatis est ex partium
 connexione, quæ est *necessaria* vel *contingens*.

Necessaria, ut:
Rom. 8. v. 17. Si sumus filii, etiam heredes.
Rom. 11. v. 6. Si salus est per gratiam, jam non ex operibus.

Contingens, ut:
Johan. 11. v. 12. Si dormit, servabitur.
Ibid. v. 32. Si fuisses hic, Domine, non esset mortuus frater meus.

CAP.VII.

Segregativum axioma est, cuius conjunctio
 est segregativa.

Estque discretum vel disjunctum.

DISCRETUM, cuius conjunctio est discreta.

Itaq; ex dissentaneis præcipue diversa enuntiat; ut:

i. Cor. 8. v. 5. *Quanquam multi dicantur dei: nobis tamen est unus Deus, pater ille, a quo omnia, & nos in ipso, &c.*

Etsi Deus castigatpios: tamen eos amat.

Rom. 12. v. 21. Noli maleficio vinci: sed beneficio vince maleficium.

Discretum judicatur verum vel legitimum,
 si partes non solūm veræ, sed etiam dis-

C ij

crcta sint: falsum vel ridiculum contrá.

DISJUNCTUM axioma est; cuius conjunctio est disjunctiva; ut:

Aut fide justificamur, aut operibus.

Aut dies est, aut nox.

Homo iste vel pius est, vel impius.

Disjunctionis necessitas pendet ex necessaria partium oppositione & disjunctione.

Atque ejusmodi judicium est axiomaticum axiomatis per se manifesti: sequitur dianoëticum.

Dianoëia est, cùm aliud axioma ex alio deducitur.

Estque *syllogismus* aut *methodus*.

S Y L L O G I S M U S est dianoia, qua quæstio cum argumento ita disponitur, ut posito antecedente, necessarió concludatur.

In syllogismo considerantur {

partes	{	antecedens	{	propositio.
		consequens	: assumptio.	
species	{	complex	{	contractus; 3. figura vulgo.
		simplic	{ explicatus	{ primus: 2. figura vulgo.
	{		{ secundus: 1. figura vulgo.	
			{ connexus	{ primi modi.
	{	compositus	{ secundi modi.	
		disjunctus	{ primi modi.	{ secundi modi.

Partes

Partes syllogismi dux sunt, Antecedens & Consequens.

Antecedens, quæ adhibetur ad quæstionem arguendam. *maior minor*
Estque propositio & assumptio.

PROPOSITIO est prima pars antecedentis, qua quæstionis saltem consequens cum argumento disponitur.

ASSUMPTIO est secunda pars antecedentis, quæ assumitur è propositione.

Consequens, quæ complectitur partes quæstionis, eamque concludit: unde Complexio & Conclusio dicitur.

Hactenus partes syllogismi fuerunt: species sequuntur.

Syllogismus est simplex vel compitus. CAP. X.
SIMPLEX, ubi pars consequens quæstionis est in propositione: pars antecedens in assumptione.

Estque { Affirmatus è partibus omnibus affirmatis.
Negatus è negata antecedentium altera parte cum complexione.
Generalis è propositione & assumptione generalibus.
Specialis ex altera tantum generali.
Proprius ex utraque propria.

Syllogismus simplex est contractus vel explicatus.

Tertia figura. **C**ONTRACTUS, quando argumentum
a Arist. pro exemplo ita subjicitur particulari
quæstioni, ut utramque partem antece-
dens, & assumptione affirmatum intelli-
gatur; ut:

Quædam confidentia est virtus; ut constantia.

Quædam confidentia non est virtus; ut audacia.

Quoddam donum Spiritus sancti beat; ut fides.

Hæc exempla si integrè colloces, habebis
I. affirmatum generale.

O. *Constantia est virtus.*

O. *Constantia est confidentia. Ergo*

Q. *Confidentia est virtus.*

II. Negatum speciale.

N. *Audacia est virtus.*

O. *Audacia est confidentia. Ergo*

Q. *Confidentia non est virtus.*

III. Rursus affirmatum generale.

O. *Fides in Christum beat.*

O. *Fides in Christum donū est s. sancti. Ergo*

Q. *Donum Spiritus sancti beat.*

CAP. XI.

EXPLICATUS syllogismus est, in quo pro-
positio generalis est aut propria, & con-
clusio

DIALECT. LIB. II. 39

clusio similis est partia ntecedenti vel de-
biliori.

Species ejus duæ sunt: *prima & secunda.*

PRIMA species explicati syllogismi est, ubi secunda fi-
argumentum semper sequitur, negatum gura Arist.
in altera parte.

Generalis I.

Omnes vere-Christiani sunt sobrii.

Nullus ebriosus est sobrius. Ergo

Nullus ebriosus est vere-Christianus.

Generalis II.

Nulli in carne viventes Deo placent.

Omnes juxta spiritum versantes Deo placent.

Ergo

Nulli juxta spiritum versantes vivunt in carne.

Specialis I.

Nulli veré sapientes deficiunt á Christo.

Quidam Galatæ deficiunt á Christo. Ergo

Quidam Galatæ non sunt veré sapientes.

Specialis II.

Omnes electi credunt.

Quidam homines non credunt. Ergo

Quidam homines non sunt electi.

Proprius I.

Christus erat vera lux.

Joh. baptista non erat vera lux. Ergo

Joh. baptista non erat Christus.

Iohan. I.

C iiiij

40 RUDIMENTORUM

Proprius II.

Iohann. 12.

Christus manet in æternum.

Tu Jesu non manes in æternum.

Tu igitur Jesu non es Christus.

CAP. XII. SECUNDA species explicati syllogismi est.
Prima figura Arist.

quando argumentum antecedit in Propositione, sequitur affirmatum in Assumptione.

Generalis affirmatus.

Omnes peccatores rei sunt iræ divinæ.

Omnes homines sunt peccatores. Ergo

Omnes homines rei sunt iræ divinæ.

Generalis negatus.

Nulli iusti consequentur hæreditatem regni Dei.

Omnes scortatores, idololatræ, &c. sunt iusti. Ergo

Nulli scortatores, idololatræ, &c. consequentur hæreditatem regni Dei.

Specialis affirmatus.

Omnes qui spiritu Dei aguntur sunt filii Dei:

Quidam Romani spiritu Dei aguntur. Ergo

Quidam Romanisunt filii Dei.

Specialis negatus.

Nulli verbum Dei contemnentes sunt pii.

Quidam Judei contemnunt verbum Dei.

Ergo

Quidam Judæi non sunt pii.

Proprius

Proprius affirmatus.

Messias nobis omnia annunciabit.

Iohan. 4.

At Jesus est Messias. Ergo

Jesus nobis omnia nunciabit.

Proprius negatus.

Elias ille venturus, non est Christus.

Johannes autem est Elias ille. Ergo

Johannes non est Christus.

Hucusque de syllogismo simplici actum est: sequitur
compositus.

CAP.XIII.

COMPOSITUS est syllogismus, ubi tota
quæstio est pars altera propositionis af-
firmatæ & compositæ: argumentum est
pars reliqua.
Estque *connexus* aut *disjunctus*.

CONNECUS est syllogismus compositus,
cujus propositio est connexiva.
Eiusmodi duo sunt.

PRIMUS MODUS assumit antecedens,
& concludit consequens; ut:

*S*ic sumus filii Dei, sumus etiam hæredes regni cœ-
lorum.

At sumus filii Dei. Ergo

Sumus etiam hæredes regni cœlorum.

Aliâs breviûs proponuntur hi syllogismi:

At primum, sive illud, sive antecedens, est.

Ergo & secundum, sive hoc, sive consequens.

C v

42 RUDIMENTORUM

CAP.XIV. SECUNDUS MODUS tollit consequens, ut
tollat antecedens; ut:

*Si per legem justitia obveniret, Christus frustra
eſſet mortuus.*

*Sed non eſt frustra mortuus. Ergo
Justitia non obvenit per legem.*

CAP.XV. DISJUNCTUS est syllogismus compositus, cuius propositio est disjuncta.
Eiusmodi duo sunt:

PRIMUS tollit unum, & reliquum concludit; ut:

*Aut ex merito nos Deus salvat, aut ex gratia.
Sed non ex merito nos salvat, Ergo
Salvat nos ex gratia.*

Sic

Aut dies eſt, aut nox eſt.

At dies non eſt.

Nox igitur eſt.

CAP.XVI. SECUNDUS modus assumit unum, & reliquum tollit; ut:

*Aut Deo serviendum, aut Mammonæ.
At Deo serviendum. Ergo
Non Mammonæ.*

Sic Paulus Gal.3.

*Aut ex Evangelii concione, aut ex Lege accepisti
Spiritum sanctum.*

AB

DIALECT. LIB. II.

43

At ex Evangelii concione accepistis.

Non igitur ex Lege.

Et hucusque de syllogismo: restat methodus.

CAP. XVII.

METHODUS est dianoia variorum axiomatum homogeneous a generalibus ad specialia procedens.

Atque ut spectatur in axiomate veritas & falsitas; in syllogismo consequentia & inconsequentia; sic in methodo ordo & confusio.

Methodus haec unica est; quamvis interim modus ejus sit duplex.

PRIMUS MODUS est, qui in materia artium adhibetur: & a definitione ad distributionem, a distributione ad reliqua præcepta procedit, eaq; transitionis vinculo colligat.

Transitio est vinculum, quo ostendimus breviter quid dictum sit, simulque quid sequatur, breviter proponimus.

SECUNDUS MODUS est, qui a poëtis, oratores, historicis, &c. in suis scriptis usurpatur.

POETÆ plerunque initio summam operis proponunt cum invocatione.

s, ut
stra

osi-
clu-

li-

ris
ab



44 RUDIMENTORUM

Deinde propositam materiam, si ita res ferat, partiuntur.

Tertio partes ordine explicant, & transitibus connectunt.

Postremo explicationem dirigunt ad exitum.

Exemplo sunt Fasti Ovidii, Georgica Virgilii, &c.

ORATORES hunc ordinem affectant: quorum tractatio plerunque his partibus absolvitur: *exordio, narratione, propositione seu distributione, confirmatione, confutatione, peroratione.*

Has partes ita definiunt:

EXORDIUM est orationis principium animum auditoris preparans ad reliquam doctrinam.

Exordiorum tres fines sive scopos statuunt, *benevolentiam, attentionem, docilitatem:* & hæc vel à rebus vel à personis petere docent.

NARRATIO est causæ aut rerum ad causam pertinentium expositio.

Hujus tria adjuncta recensentur, ut sit brevis, ut perspicua, ut probabilis.

PROPOSITIO est pars orationis summam rei continens, qua enumeramus, quot partes tractaturi simus.

CONFIRMATIO est argumentorum nostrorum expositio cum asseveratione.

REFU-

REFUTATIO est contrariorum argumentorum dissolutio.

PERORATIO sive δήλος est artificiosus terminus orationis.

Eius partes plerunque duas: εν ανεφαλαιωσις, enumeratio dictorum; & πάθη, vehementes affectus.

Exempla vide in orationibus Ciceronis.

HISTORICI ordinem temporis ut plurimum observant.

Exemplo est Livius, & alii.


Affectio Methodi est κρύψις, occultatio, CAP.XX.
quæ sæpe studio adhibetur.


Idque tripartitó. Nam


1. Aut methodi lumina, ut definitiones, & partitiones, & cætera prætermittuntur.
2. Aut his luminibus quædam adduntur aliena.
3. Aut illa ipsa varié miscentur, posteriora priore loco, & vicissim, collacando.

F I N I S.

Δόξα Θεῶν







Jm 564 a

ULB Halle
003 747 026

3



5b. 1

m.s.



FarbKarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



RUDIMENTA
DIALECTI
CÆ P. RAMI, BRE-
VITER C O L-
LECTA;
ET EXEMPLIS SELECTIS,
sacris potissimum, illustrata
Per
HIERONYMUM TREUTLE-
rum Silesium.
In usum Scholæ Herbornensis.
Editio secunda correctior.



HERBORNÆ
Ex officina Christophori Corvini.
c i o i o x c l X.